AD PRINCIPALEM FUNERATIONEM,
PERENNATURÆ MEMORIÆ,
ILLUSTRISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DNI BOGUSLAI RADZIVILII,

BIRSARUM, DUBINCORUM, NECNON
SLUCIÆ ET KOPYLI
DUCIS,
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPIS,
NEVELIÆ ET SEBISIÆ
COMITIS,
MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ
SUPREMI STABULO PRÆFECTI.
SERENISSIMI ELCTOR. BRANDENB.
IN DUCATU EJUS PRUSSIÆ
LOCUMTENENTIS,
BARI, BRANSCI AC POSSERVIENTARUM
GUBERNATORIS.
AD DIEM VI. MAJI INSTITUENDAM,
QUIN ET
AD AUDIENDAM SOLENNEM PANEGYRIM,
AB ORATORE SUO,
DIE HAC SEPTIMANA JOVIS
IN AUDITORIO MAJORI HORA IX. HABENDAM.
DOMINOS, MÆCENATES, FAUTORES, AMICOS,
AC CIVES SUOS INVITAT
RECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

ITaq; lamentabere calamitosa & afflicta BORUSSIA, dum MAGNUS HEROS ILLUSTRISSIMUS AC CELSISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS DOMINUS BOGUSLAUS RADZIVILIUS, BIRSARUM, DUBINCORUM, SLUCIÆ ET KOPYLI DUX, SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS, NEVELIÆ ET SEBESII COMES, MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ SUPREMUS STABULO PRÆFECTUS. SERENISSIMI ELECTOR. BRANDENB. IN DUCATU EJUS PRUSSIÆ LOCUM TENENS BARI, BRANSCI AC POSCHERVIENTORUM GUBERNATOR MAGNIFICENTISSIMUS, casu prorsus inopinato ruit subitâq; prosternitur morte. Etenim si Divinum Numen, extremam provinciis interminaturum perniciem atq; Ruinam, inter sacra oracula dixit: Se Bellatores, Fortes, Potentes, Consiliarios, prius prærepturum, quid tibi miseræ exspectandum cum in uno HEROE RADZIVILIO & Bellatorem Mavortium & Consiliarium tuum Prudentissimum, Et Sagum & Togam unâ perdidisse videris? sive enim oculos Flectis in Bellicum Tui Gubernatoris munus? prodigiosâ illud Fortitudinis suæ Magnitudine, inter frementium armorum tumultus, micantium gladiorum stricturas, fulgurantium ensium strepitus, per obstantes toties hostium catervas, per ipsas orbis sub jugum suum cadentis ruinas; Victis hostibus, ablatis signis, extortis manubiis, exutis castris, evexit, atq; immensa gestorum gloria livoris oculos perstrinxit vel amantes recreavit. Respicis ferventem in Senatoriâ

natoriâ

natoriâ purpurâ consiliis? hâc imprimis rerum tuarum intricatissimarum conditione, *quam ipse* (largiatur mihi sua verba Magnificus Panegyristes) *insolita quâdam in consiliis dandis & enucleandis dexteritate, in tot perplexis regni negotiis; in perniciosis rerum hominumq; casibus; atq; ipsius status sæpe incertis eventis erexit; atq; magnæ mentis capacitate multa in omnibus, domi forisque, Bello Paceq;, non absq; hostium terrore, & suorũ admiratione complexus est.* Itaq; deficis O PRUSSIA! Strenuâ depræliantis manu, atq; lynceo prorsus & perspicacissimo dubiorum eventuum oculo privata, his momentis, ubi si unquã alias & in armis esse & in maturis consultationibus intricatissima fata te monent. Scævum terris omen est si syderum Principes luridis Eclipsium, umbris involvantur atq; beneficam lucẽ sublunari Theatro subducant: neque quicquã boni in publicum bonum augurantur, tantorum Heroum repentini occasus & mortes insperatæ. Quare non tu solum BORUSSIA, memoriam jacturæ incomparabilis mœstissima voce Comitaris, sed mutarunt Trabeatum suum splendorem atq; serenius paludamentum, in fuscas pallas pannosasq; vestes atq; pallia, Tot Reges, Principes, Duces, R. publicæ: Ingemuit Serenissimus Polonorum Rex, atq; tantum & vel præcipuum sui corporis membrum amputatum atq; præcisum dolet: Defluxit inter Lacrymas AULA BRANDENBURGICA, atq; afficitur Vehementissimè, SERENISSIMUS ELECTOR, MAGNUS FRIDERIGUS WILHELMUS Tanto nunc tamq; Fidelissimo suo Gubernatore & alterâ ferè in rebus bellicis manu privatus: Universa luget POLONIA, Illachrymatur BORUSSIA, subditi devotissimi tot longè lateq; patentium ditionum, Heroi nostro subjectarum, inter planctus, inter ejulatus atq; lamenta personare conspiciuntur. Sed nihil profici-

mus

mus universi ploratibus, non emolliunt adamantina Fatorum decreta lacrymæ, nec reviviscet in hoc orbe HEROS si vel ipsam vitam in luctum impendamus. Ergo Muliebribus positis lamentis, id agamus potius ut novissimo Cœli Candidato, inter nos suum decus, suum Honorem suam Gloriam sua præconia in ipsa seculorum profunditate Musarum ope, quæ dignum laude virum mori vetant conservemus. Atq; ferè, ne lugere quidem decet, quando tanti HEROIS gloriosè gesta atq; ingentia meritorum decora, recentem retinent ex primuntq; jubilorum sensum & præbent materiam: atq; indecorum ubi BOGUSLAUS RADZIVILIUS immortalis *est, eo lacrymas & querelas intrudere mortalitatis.* Intulit suam virtutum lucem atq; jubar gloriosis gestis plenissimum Cœlo; sed nostrum est & in terris illa decora suspicere, atq; cum inter sydera perennet, emoliri, ut in posterorum etiam conscientiâ seriq; orbis memoriâ æternet. Juvat autem Nascentis HEROIS cunas & ortum scrutari altius. Natale illi Solum Fata destinaverant BORUSSIAM ut commodè inde suum Illustre depositum repeterent. Fundus Terræ admodum fœcundus, dædalis mercibus, quà importandis qua exportandis ex opportunitate & subditorum commodis sita atq; toto terrarum orbe Clarissima; atq; ubi ut ex Sulmonensi Poeta hæc mutuemus,

Fluant lacrymæ, stillataq; Sole rigescant
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipiens, nuribus mittat gestanda latinis

Quæ cum non levis sint momenti, illud magnopore commendandum quod præclarissimorum semper ingeniorum fuerit feracissima, quæ cum aliarum omnium artium capacissima fuerint; tum sub utrâq; Pallade armatâ & togatâ, memoranda fecerint stipendia. Est in eâ,

eâ, quæ Regalis est Metropolis, GEDANUM Civitas opulentissima, Emporium Florentissimum, inibi in hanc mundi scenam, in qua principalem deinceps personam decenter sustineret est ingressus. Mensis erat totius anni formosissimus quem Majum appellamus: jam sudabat nivalis pindi vertex jam Riphæum gelu per montium rivulos defluebat, spirabant Favonii mulcebant roriferis auris prata herbescebant campi in flores novos umbrosæ induebantur arbores, undiquaq; ridebat tellus amœnitate: *quasi ipsa universi natura ubiq; sapiens ac justa alumno elegentissimi ingenii, eleganti quoq; tempestate obstetrica rivellet* atq; orbi præmonstrare, quo virtutum flore eum esset nobilitatura, quem vernas inter florum delicias exlcusisset; Dies affulserat in hoc mense tertia, quæ eadem est, quâ Principis Pacis largissimâ indulgentiâ Anno 1660. Pax inter Poloniæ & Sveciæ Reges atq; Potentissimum Electorem Brandenburgicum est constituta. Fortasse ut maturè indicaret non minimum laboraturum olim Magnum HEROEM in Pacis negotio, in tranquillandis rebus nostris atq; effecturum ut remisso armorum studio sacros Paci ramos oleæ dissidui Principis amplecterentur. Sed hujusmodi alia quæ ad natalem diem, locum tempus pertinent non expendemus curiosius, quod quidem decoris aliquid afferre videantur, ut tamen fere communia sint deterrimis cum optimis, infimis juxta ac summis ex cœcâ sorte, paria. Qvare consectabimur nunc ea per immunerabilem HEROIS nostri laudum copiam, quæ magis illi propria videbuntur; sed strictim persеqvemur omnia, masculam singulorum amplificationem, Oratori nostro, effusuro se in HEROIS nostri præconiorum mare relicturi. Primum ergo locum sors atq; Conditio nascendi sibi vendicat, quæ HEROI nostro, sive PATERNAM, sive MATERNAM,

 &

& in illis tot Principum, tot Regum atavorum seriem spectes Illustrissima contigit.

PARENS ILLI FUIT CELSISSIMUS ATQVE ILLUSTRISSIMVS TOGA SAGOq; CLARISSIMVS PRINCEPS, JANVSSIVS RADZIVILIVS CASTELLANVS VILNENSIS HEROS MAVORTIÆ INDOLIS ATQVE PATRATIS BELLICIS PER PLVRES ORBIS PARTES CELEBRATISSIMVS. Etenim admirabili suâ fortitudine, qvam tot documentis & gloriosè gestis, inter diversas occasiones bellicas, & sangvinea prælia demonstravit, penetravit se in familiaritatem HENRICI QVARTI, Galliarum Regis quem Seculi illius Martem merito orbis suspexit. Abituriens ex Gallia admiscuit sua arma feliciter ARCHIDVCI AVSTRIÆ, Cruentis interfuit præliis in HVNGARIA, atq; cumprimis ad BVDAM, quantus & animo & manu HEROS esset ostendit. Patriæ Libertatis erat studiosissimus cujus cum jugulum male svadentium suggestu & insusurratione peti videret Magnanimus Heros militem conscripsit, bellum intulit, arma explicuit, non ita contra Regem, cujus erat observantissimus, sed pro libertate, pro legibus pro Privilegiis, pro qvibus qvi sangvinis non est prodigus, prodigus est suæ salutis atq; incolumitatis. Quod altius secum reputans Rex, ex æquissimis se deinceps illi reconciliari passus est conditionibus. VXOR ejus prima fuit SOPHIA, DVCISSA DE SLVCKO, quæ Amplissimas Mariti Possessiones Ducatu SLVCENSI ET KOPYLENSI exauxit; qua fatis functâ in Matrimonium sibi locavit SERENISSIMAM ATQVE POTENTISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM, DOMINAM ELISABETHAM SOPHIAM, SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI PRINCIPIS ATQVE ELECTORIS BRANDENBVRGICI, DOMINI JOHANNIS GEORGII FILIAM, ex quâ Filios duos JOHANNEM GEORGIUM & BOGUSLAVM, totidemq; Filias ELISABETHAM SOPHIAM ET SOPHIAM AGNETEM susceperat, qui tamen omnes maturâ occupati morte, Vnico BOGVSLAO Paternarum Virtutum, Maternæq; gloriæ ac possessionum utriusq; capacissimo Hærede, inter vivos relicto.

Avum numerat CELSISSIMUM ATQVE ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DOMINVM CHRISTOPHORVM DVCEM IN BIRZE ET DUBINKI PRINCIPEM bello paceq; inclutum. Magnanimis ille Heros ausus est congredi cum Jwanno, Magno Muscoviæ Duce, illo orbis terriculamento, eâ felicitate ut eum ex munitissimâ arce Staricâ pulsum, cum ignominiâ cum numerosissimo 40 Millium exercitu pedem referre atq; fugitivo similiorem in Moscoviam revenire adigeret. Pari & animo ac invicto corporis robore triumphantiq; dexterâ Carolum Sudermannum altissima spirantem, evertit, turbavit, profligavit. Ille fuit qui plurimis Regni proceribus Electionem Sigismundi Tertii Poloniæ Regis ex Consilio impedituris masculam frontem aciem & ferrum nisi suffragia pro destinato sibi Rege ferrent opposuit & solus ut Regale conscenderet solium effecit. Vxorem habuit ILLUSTRISSIMAM CATHARINAM DVCISSAM de OSTROG.

Vocat nos MAGNI nostri BOGUSLAI PROAVUS, CELSISSIMUS ET ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS NICOLAVS RADZIVILIUS, PALATINUS VILNENSIS AC M.D.L. EXERCITVVM PRÆFECTVS GENERALIS cognomento Ruffus, qui in Comitiis Augustanis Anno 1548 sua Virtute â Carolo V. Romanorum Cæsare invictissimo una cum patruelibus suis, NICOLAO

 Nigro

Nigro ejusdemq; Fratre germano impetrarunt, ut inter Principes Romani Imperii adnumeratus Ducis in Birse & Dubinki nomine insigniretur: unde ablatâ Ducum in Goniadz & Metelle RADZIVILIORUM lineâ, Birzense stemma originem habet. Qvare ut iret in famam atq; rumorem novum prosapiæ RADZIVILIANUM decus, prope Gourlandiæ confinia famosissimum fortalitium Birce excitavit. Sed & porro ex re sibi novum hunc honorem collatum esse & deberi Magnanimus Dux factis commonstravit. Quippe vastantibus omnia longè lateq; Moscis, ipse parva manu septem gestans Militum millia numerosissimum hostem 40 Millia superantem adortus est, pugnavit strenue, confligendo conflixit, coactoq; omni quamvis parvo robore, in hostile ut impetum fecit ita turbavit vastissimum corpus, disjecit, prostravit atq; in cruento illo prælio victor, fastuosum Ducens Suiscium interfecit. Adeo non numerus, sed virtus pignus est Victoriæ. Triumphato Muscoviæ Duce, atq; jam Magnus Regni Consiliarius, non substitit in Consiliis pro amplificandæ Patriæ finibus instrictus, sed ex ære suo, coactum militem ter in Livoniam Duxit & quamvis inibi fortuna belli vices variaret, Victor tamen ille adversantis fortunæ & hostium Rigam expugnavit. Intererat strenuâ manu Nicolaus Niger, qui Marchionem Albertum Rigensem ArchiEpiscopum Ordinisq; Teutonici Magnum Magistrum Gothardum Ketterlerum pinguem ex victoria prædam captivos duxit: sed Regi tradidit atq; deinceps in pleno purpuratorum Senatorum Concilio Sigillum Ordinis Teutonici atq; Magnâ crucem, quam â Collo Magister gestaverat, Regi insinuavit. Sint illi Consiliarii, qui non media otiosi comminiscuntur, sed & exequuntur, non præpeditos evenruum Mçandros resolvunt, sed gladio secant nodos, non

non calamo sed armis agunt, efficiunt emoliuntur. Tales ex Nicolais habetis. Sed quid gloriosè gesta sine pietate? Ejus ut se amatorem atq; incorruptum sui Numinis Cultorem ostenderet, exivit cimmeriâ nocte, in Apricum resplendescentis Lucis Evangelicæ se contulit atq; non diu purioris fidei professionis radios per universam Poloniam atq; Litphaniam circumtulit. In Matrimonio habuit ILLUSTRISSIMAM ELISABETHAM DUCIS IN HOLSAN Filiam.

Properamus pro ratione programmatis, nec enim Historiam tot Heroum scribimus, ad ABAVUM MAGNI BOGUSLAI CELSISSIMUM ATQVE EXCELLENTISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DOMINUM GEORGIUM RADZIVILIUM CASTELLANUM VILNENSEM & GENERALEM EXERCITUUM M.D.L. PRÆFECTUM. Annales â nobis condendi essent, si documenta stupendæ illius Fortitudinis atq; felicitatis bellicæ singula, excutere vellemus. Stupor ille cumprimis fuit Moscoviæ Duci, Schytis Crucigeris, cum quibus in conflictu congressus quacunq; in cedere visus, victoriam in manibus gestabat: Admirabilis, fuit in bello, adeo ut ultra quam triginta præliis cum numerosis hostibus commissus, victor semper in fumanti Cæsorum sangvine erexerit tropæa. Meruit sua Virtute ut in deliciis haberetur ab Sigismundo Augusto Polonorum Rege qui Radziviliani sangvinis atq; Virtutis tantum fecit æstimium ut legitimis suis atq; Regalibus thalamis inferret Filiam ejus Barbaram eamq; ad Regiam Dignitatem solenni Coronatione Cracoviæ, Magnificentissime peracta, intromitteret. Ita Regius Radziviliorum sangvis Regale solium nactus, de Livore & invidia triumphavit. Habuit ille Conjugem BARBARAM EX ILLUSTRIS-

 SIMA

SIMA COLLORUM FAMILIAM PALATINI RUSSIÆ FILIAM.

ATAVUM in ILLUSTRISSIMA PROSAPIA habuit CELSISSIMUM ET ILLUSTRISSIMUM NICOLAUM, COGNOMENTO SENEM, ob grandævam qvam indeptus est ætatem. Sedit ille inter Cumulatissimos honores atq; in Patria præcipuos. Primus ille Moscowitarum more Woiwoda seu Palatinus nuncupatus est, atq; bello inclytus, meruit Generalis Exercituum M. D. L. præfecturam. In Matrimonio habuit MONVIDII MAGNI DUCIS LITPHANIÆ FILIAM, VLADISLAI JAGELLONIS CONSOBRINAM. Licuit illi per fatorum Indulgentiam 4. Regibus ex ordine inservire, qui quoq; in ornando Venerabili illo Seniore beneficiis hinc inde cumulatis concertarunt. Ex omni quâ fruitus est fortunâ, hoc inter præcipuas numerandum partes, quod Filios quatuor, pari omnes indolis magnitudine atq; Virtute non adolescere tantum feliciter vidit sed & omnes Collegas in Magno Senatu habuit. Sed & sequioris sexus duas elocavit feliciter, alteram nuptam Conrado Masaviæ alteram Simeoni Sclucię Ducibus, in matrimonium datam. Junxerat thalamo ILLUSTRISSIMAM ANNAM MONVIDII M. D. L. FILIAM GEDEMINI NEPTEM.

TRITAVUM in pompam Ducit MAGNUS BOGUSLAUS attestantibus id vel triginta & amplius M. SS. Russicis, HOSTICUM dictum MARESCHALCUM, SUMMUM MILITIÆ M. D. L. PRÆFECTUM ATQVE VILNENSIS URBIS CAPITANEUM MAGNIFICUM, qui primus duarum Poloniæ & Litphanicæ Gentium fœdera probavit & subscriptione robur addidit. Traductum autem ex gentilitiis tenebris S. Sanctum suscipiens cum Jagellone Baptismũ, nomen exuit, Christini ut alii ferunt Nicolai nomen sibi approprians.

Atq; quidem in promptu nunc esset nobis, in lineam Antiqvissimam prolixius excurrere, ducere in pompam, Sirputos, Ursillos, Lildeicones celebratos in fide dignissimis Russorum monumentis prosapiæ RADZIVILIANÆ autores, undiquaq; Clarissimos. Moliri possemus, secuti Stricovium Miechovium aliosq; in Palæmonem, Columnas Ursinos, Rosas, cum aliis ex Romanâ pube Nobilissimis, forte Livoniam appulsos fixâq; in Litphaniâ sede Capita Illustris familiæ existentes. Sed metuendum ne idem nobis obtingat, quod Nili scrutatoribus, qui Vastum, quidem Flumen, terris suis exundatione, proficuum in oculis habent, vanè tamen scaturiginem scrutantur. Tantus ex Paterno stemmate HEROS noster est, sed diffusior in Natalium gloriam, si MATERNVM excutias. Ex hoc enim habet, quod sangvine, quod Necessitudine, cum plerisq; Germaniæ Principibus, cum Imperatoribus, cum Regibus sit conjunctissimus. Verbo, quousq; se ambitu suo Brandenburgicus & Anhaltinus sangvis & agnationes diffundunt, eo se traducit & porrigit Noster HEROS; hoc est Serenissimæ Matris beneficio, ex septem Electoribus Brandenburgicis, ex Anhaltinus Principissis, Tot Regum sangvinem habet. Effunderemus nos latius in Regium & principale illud ab utroq; latere stemma nisi glaciem, fregissent alii vel potius abundè hæc deduxissent, in tot tabulis, arboretis, historiis, nos in Schemate damus Domus, Majores Maternos.

AVUM MATERNUM habuit SERENISSIMUM ATQVE POTENTISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM JOHANNEM GEORGIUM, ELECTOREM BRANDENBURGICUM, cujus inter

ter alias UXOR, HEROIS nostri AVIA, ELISABETHA ANHALTINA, JOACHIMI ERNESTI, PRINCIPIS, SVÆ ÆTATIS PRÆPOTENTIS ET COGNATIONIBUS FERE OMNIUM PRINCIPUM PLURIMORUMQVE REGUM INNEXI FILIA.

PROAVO gloriatur, SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO JOACHIMO II. ELECTORE BRANDENBURGICO, cujus Uxor, GEORGII BARBATI, DVCIS SAXONIÆ, quæ nostri HEROIS PROAVIA est, Filia.

ABAVO gaudet SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO JOACHIMO PRIMO, ELECTORE BRANDENBVRGICO qui in thalamis habuit ELISABETHAM, JOHANNIS REGIS DANIÆ ET NORWEGIÆ FILIAM NOSTRI ABAVIAM.

ATAVUM in pompam Ducit SERENISSIMVM ATQVE POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM JOHANNEM ELECTOREM BRANDENBVRGICVM, qui ob Suadam & admirabilem Eloqventiam, Cicero Germanicus ex Merito est nuncupatus, cujus faciebat Matrimonium MARGARETHA, Filia WILHELMI DVCIS SAXONIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, NOSTRI ATAVIA.

Ex TRITAVO, oritur SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO ALBERTO, cujus fortitudini, cum nullum responderet nomen ex priscis seculis, illi Achillis indiderunt Germanici: qui TRITAVIAM NOSTRI in Conjugem habuit MARGARETHAM, JACOBI MARCHIONIS BADENSIS Filiam.

In

In hanc Majorum Claritudinem, tantosque penates novum semper ex Virtute intulit decus. Jam inter cunas spirabat altius, & vix sex Mensium homo, in Eqvo ex jussu Patris sessor, Mavortia signa dedit. Sed in mitiori deinceps ætate, HEROS mitioribus incubuit studiis, ut olim sagatum decus togato fieret Illustrius. Cum cura pietatis non tantum lac sed ipsum fidei robur sumpsit, & Coadjuni Vilnæque, Masculis artibus Princeps suum pectus imbuit. Firmato ita per literas animo, HEROS noster, non diu apud suos hæsit, sed suasu ILLUSTRISSIMI SUI PATRUI AC TUTORIS, DOMINI CHRISTOPHORI RADZIVILII, Palatini Vilnensis & summi Exercituum M. D. L. Præfecti alias adiit alio sole calentes terras. Flagrabat ibi tum Vniversa fere Europa Bellonæ incendiis bella, prælia, conflictus, infestæ acies undiq; concurrebant. Horum spectaculis peregrinator commodabat oculum, lustrabat in viâ militẽ Svecicum, sub Vrangelio stipendia merentem, oppositum Imperatoris sub Galesone in Germaniâ Exercitum, non vidit tantum, visum sed ordinem, ductum, Castrorum species, in Martium animum prorsus admisit. Sed substitit paulo in Bataviâ, Sophiæ nobilioris partes tractavit curatius, inhærens cumprimis illis Mathematum portionibus, quæ viam præeunt & methodum, firmandi urbes & rursus feliciter eas expugnandi. Sed excusso Scholarum pulvere alas extulit altius, volavit Aquila Generosa in Galliam atq; habitus in sinu & familiaritate Ludovici XIII. Regis, inspectisq; Gentis hujus ritibus, legibus, Vrbibus & Provinciis præcipuis, in Angliam solvit, inter præcipuas Aulæ delicias à Carolo Rege humanissimè acceptus & habitus. Verum Molles Aulæ illius cupediæ non tenebant diu Heroem Mavortium, invitabant tympana, litui, tormenta, Catapultæ, Ballistæ, Strenuum deprælia-torem in Bataviam evocabant, quæ illa tempestate verè

D Mar-

MartisSchola erat atq; area Hic quam egregiam operam navaverit Frederico Henrico, Fortiſſimo Principi, quot cruentis prœliis, quod expeditionibus, caſtrorum, urbium, fortaliorum expugnationibus interfuerit, ſæpius præfuerit, hæc pagina non capit. Interea cogitur in Patriam morte Illuſtriſſimi ſui Tutoris acceptâ, firmat res ſuas, atq; poſtquam menſes aliquot, non tam in Aulâ, quam pectore Magni Regis Vladislai IV. fuerat conmoratus, ejus ex conſilio denuo abit in Galliam. Non poterat tamen, quin ex diverticulo, in Martis ſcenam Bataviam deflecteret, verſareturq; inter hoſtiles orbitas, gladiorum ſtricturas, tormentorumq; flammas. Sine flammis ſine vita eſt Salamander; ita Heroicus animus ſe habet extra Bellum. Sed venit in illa Caſtra eo ſucceſſu, ut ex uno cui præerat conflictu, aliquot centena Hiſpanorum Captivorum Duci ſuo Auriaco triumphans oſtentaret. Venit Ãõ 1642 in Galliam, Pompaticæ Funerationi Ludovici XIII. Regis atq; Cardinalis Richelii interfuit, amantiſſimus Reginæ Viduæ atq; Cardinali Mazarino, qui Revocato Heroi â Johanne Caſimiro, poſt fata Germani Vladiſlai IV. in Regem Electo, Generalatũ ut vocant in omnes legiones exoticas obtulerunt; quod repetierunt A. 1648 per Ducem d'Arpajou Legatum in Poloniam Magnificum, Sed Patriæ periclitantis in bello Coſacico amor, reduxit. Æquum ut terræ impendamus ſpiritum, quæ ſpiritum dedit. Itaq; inter eſt Coronationi Novi Regis in ſplendidiſſimâ pompâ & principali prorſus apparatu, atq; A. 1649. Legionibus Germanicis Generalis præficitur, decoratus in Patria dignitate, quam repudiaverat apud exteros Sed pactæ induciæ cum Chamo Tartarico & Chmielnicio; unde fere integrum annum, in Regiâ commoratus ſpecimen Magnifici Animi, Magnificum illud & verè Regium Palatium Staroviezy XII. milliaribus Varſavia diſtans opere prorſus Italico excitavit. Facti

denuo

denuo Rebelles Coſaci: Scribit Heros ſuo ære militem: Roborat Polonica caſtra & tuetur. Non comprehendũt hæ lineæ, illa fortitudinis miracula atq; ſtuporem facinorum, quæ præſtitit; ſed dicet Orator noſter, cumprimis quam parvâ manu, Ingentem Coſacorum Molem, A. 1651. d. 12 Julii ſuſtinuerit. Junxit dehinc ſuum Exercitum Polonis tendensq; Kamienicium X. Millibus Tartarorum ex improviſo obruitur, ſed ferro ſed tutore DEO, Barbaris manibus eſt Elapſus, ut ſuum ſervaret Regem. Quippe Zwanecium ſe conferens, deprehendit arctiſſimâ obſidione cinctum Regem; & præciſa fuiſſet ſpes omnis elabendi, niſi ex fortuitis literis, Generalis Tartarici Sefer Gazy Aga, Cum Polonis ſe paciſci velle ſignificantis, integrum Negotium Regi expoſuiſſet: verè illius Angelus atq; eductor. Varſaviæ in Comitiis A. 1654. poſtulatus â ſubditis Palatinatus Potocenſis officium detrectat, perſecuturus potius Moſcum longè lateq; patriam depopulaturum. Movet Exercitum prope Bychoviam ad Boryſthenem, atq; Vicariâ manu, decumbebat enim M. D. L. Exercituum Præfectus Januſſius II. noſtri Patruelis arcem Bychovienſem Anno 1655. ſtrenuè oppugnat. Interea Hannibal Gotticus, totam milite Poloniam inundabat, pulſus Regno Rex exulabat in Sileſia, dederant ſe omnes, ſolus noſter cum exercitu ſuperabat, atq; parvo Milite fruſta omnia moliturus ex neceſſitate Caſtra Svecica ſequitur; nequaquam tamen amorem in Regem & Patriam exuit, quod clare probavit quando in Prælio Varſavienſi, in phalangem dextram, quam Rex nobilitabat militẽ adducere juſſus eſt, reſpondit ſe adverſus Regẽ ſuum manus non levaturum; quin poſt reportatã Victoriam, ſiſtendũ Gentilitium ſangvinem, condeſcendendumq; in Pacem cum Polonis Regi Sveciæ ſuaſit. Sed qui toties præſentiſſima inter diſcrimina fuerat ſervatus, incidit tamen in fortunæ manus. Siſtit fortiter impetum

Tar-

Tartarorum in Pruſſiam, prope urbem Lyck, ſed parvâ manu vix reſiſtit; derelictusq; â parato ſubſidio, mox â ſuis omnibus, cadente etiam ex plumbeo globulo inter tibias, equo, graviq; capitis vulnere ſaucius Præda fit Barbarorum. Ligatur loris, ephippio adſtringitur, miſere trahitur, ſed ex facie Hoſti nequaquam notus traditur Gonſcievio Generali Exercituum Præfecto; ſed ſparsâ famâ Radzivilium fuiſſe, repoſtulatur per tumultum, atq; vix Magnâ pecuniæ vi redemptus ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI, DOMINO MICHAELI RADZIVILIO redditur, cujus & fide, dexteritate, tutelâ, ope, non tamen ſine provida ſui Numinis curâ, ſuis præter omnem ſpem, A. 1656. eſt reſtitutus. Excludit hæc Anguſtia ſtupenda illius in bello Polono-Sveco-Moſcovitico, in eliberandis fortalitiis, Libaviæ in Courlandiâ, Plurium in Borusſiâ ac præprimis Vilnæ patrata: quæ in recenti & hærent memoriâ omnium, atq; jam profunditati temporum ſunt transmiſſa. Tot facinora, tot prælia, tot pro R. P. matura Conſilia, tandem illum fecerunt Gubernatorem univerſæ, Borusſiæ. Hic erat: Communis utilitatis amator; privatæ oblitus: Vivebat extra ſuam Patriam, ſed in Borusſiam ſua omnia, fortunam, opes, vitam ſangvinem impendebat velut in Patriam alteram: In laboribus patiens; adverſus mollia durus; In periculis firmus, in arduis fidēs: In gerendis magnanimus; in geſtis modeſtus: in adverſis conſtans; in ſecundis tēperatus: in utrisq; idem; in omnibus invictus. Extremum A. 1669. d. 28. Decembr. de motu rumor ſollicitum pro ſuâ Borusſia Principem excivit; deliberaverat de neceſſariis cum Illuſtrisſimo Pomeraniæ Palatino, ſed redux Regiomontum fatali Catharro exſtinguitur. Quæ omnia diffuſius expoſiturus eſt Orator noſter, futuro die Jovis, Hora 9. in Auditorio Majori; Quare ut Cives noſtri Magni Principis exequiis die 6. May: frequētes adſint, dictaq; die Domini noſtri Mœcenates Fautores & Amici Panegyrin frequentent Oramus. P. P. Anno 1670. 6. Maji.